

DISSERTATIO VII.

De causa materiali sive subiecto Cambii.

DEfficiente subiecto omne jus atque accidens deficere habet *l. 2. ff. de usus.* assignatâ igitur causâ efficiente iusta rerum discutiendarum series ad materialem sive subiectivam ducit, cum in quolibet actu primò inspiciendum sit, an personæ ad actum celebrandum sint idoneæ, *l. 4. ff. qui testam. facer. poss. l. 24. Cod. de procur.* Equidem sunt non pauci, qui aliquod genus hominum aliàs ad contrahendum habiliū esse contendunt, per quos minùs justè & licitè hic contractus celebretur.

Primo loco ponunt nobiles, quibus commercia exercere §. 1. prohibitum videtur per *l. 2. cod. de commerc. & mercat.* Secundo collocant Advocatum, quem cum suo cliente cambia contrahere non posse autumant, quod hic facilè suum daturus esset ob litis timorem, *l. 6. §. 2. cod. de postuland.* Tertio numerant Medicum, cui cum infirmo cambia & quosvis alios inire contractus interdictum volunt per *Text. in l. 3. ff. de var. & extraord. cognit.* Quarto & ultimo statuunt Magistratus & Iudices, quòd hi præsumantur metu inducere subditos ad contrahendum, *l. 46. & 62. ff. de contrah. empt. l. unic. in pr. & §. 2. de contract. jud.* His omnibus rectè contradicit Raph. de Turr. *Disp. 1. q. 14. n. 12. & seq.* cum quo & plurimis aliis

Dico. Omnes & singulos, modò in genere ad contrahendum sint habiles, nemine excepto absolutè cambia exercere posse, cum, ut loquitur Scacc. §. 1. *gl. 7. part. 3. limit.*

16. 17. n. 1. § seq. nihil quicquam majoris inhabilitatis sit in contractu cambii, atque in cæteris, clarius idem monstrat *Rot. Gen. decis. 139. n. 9.* in verbis: Quod Genuæ omnes fere cives sive nobiles, sive plebæi, sive divites, sive pauperes, sive Magistratum gerentes, sive privatam vitam agentes, sive in dignitate constituti, ut Doctores, sive alius, ita, ut ad mulieres usque res pervenerit, negotiis cambiorum & mercium incumbant. Accedit, quod contractus cambialis sit juris gentium, à quo celebrando nullus arcetur.

§. 4. Quemadmodum omnes cambium ritè contrahunt, ita quoque non tantum mercatores ex eo conveniuntur; sed ad omnes indistinctè rigor juris cambialis extenditur. *Braunschweig W. D. art. 2.* Es sollen alle und jede so Wechselbrieff kauffen / aufgeben / präsentiren / acceptiren / oder als Bürgen zeichnen / sie seyen Man- oder Weiblichen Geschlechts / hoch oder niedrigen Stands / Hoff- Civil- oder Militair Personen / gelehrte oder ungelehrte / Bürger oder Bauern / so woll als die Kauff- und Handels Leute an die Wechsel Ordnung verbunden seyn / und bey entstehender Klag / insonderheit aber in Ermangelung richtiger Zahlung wieder den beklagten Debitoren ohne einiges Ansehen der Person nach strengem Wechsel-Recht verfahren werden. Coincidunt Ordinationes cambiales *Marco-Brandenburgica art. 4. vetus Vratislaviensis §. 1.*

§. 5. Circa mulieres tamen remanet dubium, cum quidam tunc demum eas obligatas velint, si maritalæ specialem exerceant mercaturam, aut negotiis maritorum suorum prævel assistant, prout disponit *Ordinat. camb. Dantisca. §. 38.*

Verum

Verum in absentia similis Statuti sub distinctione rem dirimendam esse tradit Ludov. Einleith. zum Wechsel Proceß cap. 1. §. 12. quod, si ad alios actus validè conficiendos de Statut. patriæ (ut in Saxonia) requiratur consensus curatoris, mulier absque eo non obligetur, si verò statuto id cautum non sit, simpliciter, siue mercaturam exerceat, siue non, ex cambio teneatur.

Contra minores rigor juris cambialis non procedit, hi §. 5. enim sicut ex aliis contractibus non obligantur, in pr. Instit. de authorit. tut. l. 3. §. 29. ff. de act. empt. Ita neque ex contractu cambiali absque curatorum consensu celebrato. Excipe nisi propriam negotiationem exerceant, quo casu restitutione in integrum ipsis non succurritur ex regula J. Ctorum: mercatores approbatos & in albo mercatorum descriptos in negotio mercaturæ restitutionem non habere, Brunnem. in comment. ad l. 1. cod. qui & adversus quos Mev. ad jus Lubec. lib. 3. tit. 6. art. 21. n. 26. & 27. sustinens, quòd mercator minor sine curatore stare possit in judicio.

Filius familias contra cambium exceptione S. C. Macedon. §. 6. niani rectè se tuebitur, arg. l. 1. in pr. ff. de S. C. Macedon. Ordin. camb. Dantisca. art. 39. Nisi pater filium præposuisset merci suæ, quoniam patris voluntate contractum videretur, l. 7. §. 11. ff. ad S. C. Maced. vel peculiarem negotiationem exercere passus fuerit, dict. §. 11. permisisse verò hoc videtur, si sciat eum negotiari & nominatim non prohibuerit sæpe adduct. §. 11. Infertur itaque simpliciter cessare Macedonianum, si filius publicè negotietur. Confer. D. Zipffel von Wechselbrieffen und deren Usancen in Append. Post subjectum cambiorum, commodè de eorundem objecto, quod est

pecunia five vera five ficta ad cambium recepta ageretur, verum quia *dissert. II. §. 4. & §. 8.* pecuniam cambiatam assignabo, nunc desuper verba facere inutile foret.

DISSERTATIO VIII.

De causa formali sive forma Cambii, & signanter de confectione litteræ cambialis.

IN quavis juris materia primò quærendum esse de personis, postea de forma, notat Gothof. *ad l. 4. ff. qui testam. fac. poss. lit. y.* quam duplicem statuit Vogt. *thes. 7. lit. a.* Substantialem, quæ cambium in perfectione sua intrinseca constituit, & ad hanc referri possunt, quæ supra *dissert. 3.* præcedente consensu ad substantiam contractus cambialis pertinere dixi, & hîc superfluo repetere superledeò, me interim ad accidentalem cambiorum formam (quæ utpote contractus intrinsecè perfecti ulterior consummatio in confectione, transmissione, præsentatione, acceptatione, solutione litterarum cambialium consistit) accingens, & quidem ob pluralitatem quæstionum hac dissertatione speciatim de confectione.

§. 1. Litteræ cambii quas Gail. 2. *obs. 37. n. 8.* à transcribenda pecunia litteras transcriptionis: mercatores communiter schedulam cambiariam vocant, quod contineant cambium inter partes celebratum ad effectum executionis ejus contractus destinatæ à Gait. *de credit. cap. 2. tit. 7. n. 23. & 32.* Bod. *thes. 6. lit. b.* & aliis passim describuntur, esse compendiosum instrumentum per debitorem cambii sive trāsantem privatim subscriptum, & ad locum solutionis cum duplici summæ solvendæ expressione, quarum una notis numerabilibus sive ciffris designata, altera ad effugiendas fraudes, quibus subjacet in forma